





1928 A 1926

Gardinus, L

Hrd 26/3

1926

DE ANIMATIONE FOETVS QVÆSTIO:

In quâ ostenditur, quod Anima Rationalis, ante Organizationem non infundatur.

AVCTORE
LVDOVICO DV GARDIN,
MEDICINÆ DOCTORE,
Regio ordinarioque Professore,
in Academiâ Duacenâ.



DVACI,
Typis PETRI AVROY, sub Pelicano aureo,
Anno M. DC. XXIII.

Superiorum Permissu.

NOuerit Lector, eos Numeros qui paßim sunt in Margine, indicare Paginam Libri, cuius titulus est, De Formatrice Fœtûs Liber, Antuerpiæ, apud Gulielmum à Tongris, Anno M. DC. XX. *In quâ, vel re, vel verbis continentur ea, quæ hic Italico Charactere sunt impressa. Quod factum est, ne crebræ nimiùm Citationes forent faciendæ.*

LVDOVICI DV GARDIN

DE ANIMATIONE FOETVS

QVÆSTIO I.

An aliqua ſint argumenta benè concludentia, Animam rationalem, tertio die à Conceptione infundi, ante omnem prorſùs Organizationem?

MAGNOPERE` mihi laborandum eſſe non arbitror, veſtram vt attentionem & beneuolentiam mihi conciliem, Auditores, quos huc & aures patentes, & animum beneuolum attuliſſe confido. Nullum quippe puto eſſe, qui non libentiſsimè intelligere deſideret, quomodò inchoauerit primùm eſſe id quod eſt, & quando primùm inceperit particeps immortali-

tatis fieri. Quod ſanè eo temporis momento euenit omninò, quando Anima rationalis eademq; immortalis, præcipua pars noſtri, à Deo Opt. Max. primùm creata fuit in noſtrâ materiâ, in id-ipſum ſufficienter præparatâ. Atqui, illud nunc agimus. Hanc ſiquidem excutimus quæſtionem. *An aliqua ſint argumenta benè concludentia, Animam rationalem, tertio die à Conceptione infundi, ante omnem prorsùs Organizationem?* Occaſionem hac de re tractandi, nobis dedit liber quidam, qui nuper prodijt, cum hoc titulo. *De Formatrice Fœtûs liber, in quo oſtenditur Animam rationalem infundi, tertiâ die.* Auctor celebris eſt, Vir magnus, & nominis magni. Ab eo autem paſsim aſſeruntur ex profeſſo, inter alia, hæc. *Anima rationalis,*
Paginâ 199. *infunditur tertio circiter à Seminis Conce-*
200. *ptione die. Sufficit eſſe circa tertium diem; ego enim puto* (inquit) *adhuc citiùs in-*
141. *fundi.* Et. *Semen verè eſt homo ante om-*
nem

nem Organizationem. Dari autem talem Hominem (Animâ rationali præditum) *qui adhuc mollis sit & fluidus; qui nec brachia, nec crura, nec stomachum, nec hepar habeat,* nec caput, nec pedes, *nihil est absurdi.* Multaque profert argumenta; quæ tanti putat esse ponderis, vt loquatur hoc pacto. *Trado multa in hoc libro, contraria doctrinæ, non tantùm Galeni & Aristotelis, sed & communi omnium tum Medicorum, tum Philosophorum, fretus pondere rationum, quibus sustineri videntur.* Pergit. *Magni viri fuerunt, Hippocrates, Galenus, Aristoteles, Auicenna, S. Thomas, & nonnulli alij, quorum aduersor opinionibus: sed homines tamen fuerunt, & errare potuerunt, in eo verò errauerunt, quia veram potentiam Conformatricem non cognouérunt.* Quid ergo hic Homo, à quo tamen humani etiam nihil alienum puto, quid his de rebus scribit, quid asserit? audiamus. *Deus non est causa efficiens Conformationis Fœtûs, nisi vt causa remota & mediata.*

157.

In dedicatoriâ.

In dedic. & 243.

245.

245.

Paginâ 6.

9. 129. *mediata. Parentes non conformant Fœtum,*
28. vsque 36. *ne quidem mediatè. Nec Calor Natiuus,*
88. vsque 124. *nec Spiritus vllus, nec vis aliqua alia à Pa-*
161. *rentibus impressa, ne quidem secundariò &*
184. 199. *instrumentaliter, est causa Organizationis. Sola Anima Vegetatiua in Plantis, Sensitiua in Brutis, & Rationalis sola in Hominibus, tertiâ die, ante omnem Organizationem adueniens; istæ per Eductionem è potentiâ materiæ, hæc per Increationem in materiâ adhuc liquidâ & fluidâ, est Organizationis primorumque lineamentorum efficiens causa.* Hæc mera puta suæ doctrinæ sunt capita, quæ vt ordine referemus, sic ordine singula conficiemus. Primum est. *Deus non est causa*
6. 9. *efficiens Conformationis Fœtûs: nisi vt cau-*
9. 6. *sa remota & mediata. Deum autem non esse causam proximam, ex eo patet* (inquit) *quòd sic nulla vnquam in Conformatione Monstra contingerent. Deus enim errare nunquam potest.* At, *si causâ proxima foret Deus, cùm in Conformatione Monstra contingunt, erraret*, inquit. Non erraret.

Vtique

Vtique quid Monſtrum aliud eſt, quàm erratio Naturæ ab eo fine, quem ſibi in agendo propoſuerat? Deus autem, qui omnia præuidet, cui omnia ſunt præſentia, ſibi in agendo proponit & intendit efficere, id ad quod materia in quam agit ordinatur. Verùm Materia ex quâ conformatur ea res quæ vocatur Monſtrum, ordinatur ad id, vel quia nimiùm abundat, vel quia deficit, vel quia præpoſterè eſt diſpoſita, vel ob aliam circumſtantiam. Ergo, quando Deus rem, quæ Monſtrum nominatur, efformat, non aberrat. Vis vno verbo? Reſpectu Dei nulla ſunt Monſtra. Natura inferior, Creatura ſola, ab eo fine quem ſibi in agendo proponit, ſæpiùs aberrat: quare ſolius eius reſpectu, Monſtra contingunt. Nihilominùs Auctor Naturæ Deus, attingens à fine vſque ad finem fortiter, efficit quaſlibet Actiones cauſarum ſecundarum prorsùs
 imme-

immediatè. Eademque indiuisibili actione concurrit ad effectum, quâ eum causa secũda efficit, ita vt Actio illa, quâ Deus est immediata causa Effectûs, ab Actione quâ eundem Effectum producit Creatura, non differat ampliùs quàm idem à seipso. Imò verò, etiam dato quod Anima tertio die adueniret, quæ foret causa Conformationis; tamen etiam dandum esset, Deum adhuc magis immediatè Conformationem efficere, quàm efficeret ista Anima. Siquidem ista, mediante aliquâ virtute conformatrice conformationem efficeret; at Deus immediatione Virtutis illam efficit, non minùs quàm Suppositi. Hoc qui negat, videat vtrùm nihil agat temerè. Affirmo ego, eum qui obstinatè (vt sonant verba) tenet Deum tantummodò esse causam remotam & mediatam Conformationis Fœtûs, Durandizare. Meliùs Psalmo 118. *Manus tuæ Domine fecerunt*

me,

me, & plaſmauerunt me. Et Iob 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me totum.* Ita, Deus (qui Pſalmo 93. *Aurem plantauit & finxit Oculum,* quiq́ Pſalmo 32. *finxit ſigillatim Corda filiorum Hominum*) me totum plaſmauit, idq́ue vt cauſa totalis, principalis, immediata & proxima, in ſuo genere. alioquin cauſæ ſecundæ effectus, magis dependeret à causâ ſecundâ efficiente, quàm à Deo ipſo.
Pergamus ad ſecundum. *Parentes,* 41. 43. 232.
protinùs vt ſemen produxerunt, ante 233.
omnem Organizationem generauerunt, & 121.
tamen Animam non produxerunt, inquit, 230.
ne quidem in Brutis, quorum Animæ circa 209.
tertium diem à Conceptione, de potentiâ Se- 123. 231.
minis educuntur. At quando Parentes ſe- 42.
men effecerunt, produxerunt Materiam & Diſpoſitiones omnes, etiam in Hominibus, vſque ad Animæ introductionem neceſſarias, inquit. *Quia, ante Animæ introductionem nullæ aliæ producuntur, quàm, quæ in Vaſis ſpermaticis fuerūt productæ, & præter illas*

nullæ aliæ ſunt neceſſariæ. Organizatio enim non eſt Diſpoſitio, inquit, *requiſita ad Animæ introductionem. Nam tunc demùm incipit Organizatio fieri, quando poſt Conceptionem, Anima eſt introducta. Quænam ergo aliæ Diſpoſitiones requiruntur? Falſum enim eſt in Vtero vllas alias produci,* inquit, *Semini namq; producto in Arbore, nulla alia imprimitur Diſpoſitio, quàm quæ in Arbore ac Seminis Generatione fuit pro-*
231. *ducta: ergo neque ſemini Animalium imprimitur alia Diſpoſitio, ad Animæ introductionem, quàm eæ quæ in vaſis ſeminarijs productæ fuerunt,* Doctrina ſanè noua. Sed contra. At potiſſimùm (nobis cùm nunc ſit de Hominibus ſermo) nego conſequentiam ab arboribus deſumptam. Si enim parentes produxerint Diſpoſitiones omnes præuias vſque ad Animæ rationalis introductionem neceſſarias, ita vt nullæ aliæ requirantur ampliùs, quàm illæ quæ in vaſis ſpermaticis fuerunt productæ, quid obſtat, quo minùs

Anima rationalis, illicò dum ſit
Conceptio increëtur? Datis omni-
bus Diſpoſitionibus ad Animæ ra-
tionalis introductionem requiſitis,
omnium calculo, Anima rationalis,
ſine morâ à Deo infunditur. Quid
ergo tardat Deus? quid illo triduo
feriatur ſemen in Vtero, antequam
infundatur Anima? *Actuantur* (inquit
Auctor) *ſemina, id eſt, vtriuſque Sexus ſe-* 208.
mina miſcentur, fermentantur, & Diſpoſi- 233.
tiones quæ erant ſolummodò exiſtentes in 28.
potentiâ, fiunt actu. Hæcque mixtio, fermen-
tatio, & latentium Diſpoſitionum excita- 235.
tio, ſunt cauſæ adiuuantes, ſine quibus Gene-
ratio fieri non poteſt, & quibus datis Gene-
ratio ſequitur. Quomodò hæc inter ſe
concordant quæſo? *Illicò vt parentes*
ſemen emiſerunt, generauerunt, & Genera- 235.
tio facta eſt. Et alterâ ex parte, *ſine mix-*
tione, fermentatione, & latentium Diſpo-
ſitionum excitatione, Generatio fieri non
poteſt, quibus datis Generatio ſequitur:
Etenim Generatio facta eſt (his ex
verbis)

verbis) illicò vt parẽtes ſemen emiſerunt. atqui, id factũ eſt ante mixtionem & fermẽtationem. Sed quod factum eſt, factum eſt, & eſt extra ſuum fieri : ergo poſt mixtionem, fermentationem, & latentium Diſpoſitionum excitationem, Generatio non ſequitur, quia iam facta eſt anteà. Vide quomodò hic Auctor ſuiſ-met ex verbis reducatur ad impoſsibile.
234. Reſpondet perplexè, *Permixtionem ſeminum, fermentationemq́; non eſſe Diſpoſitiones.* Nonne Diſpoſitio rei, eſt alteratio eius, & præparatio ad aliud? Atqui Permixtio ſeminum, & Fermentatio, alterant Maſſam Prolificam, eamq́ue præparant, ſecundùm hunc Auctorem, ad recipiendum Animam poſt triduum. Cur ergo Permixtio Seminum & Fermentatio non forent Diſpoſitiones? Hincq́ue alia fit deductio ad impoſsibile. Si enim Permixtio & Fermentatio, quæ Spermatificationem ſequuntur, ſunt Diſpo-

Diſpoſitiones, vti ſunt reuerà: Spermatificatio non eſt vltima Diſpoſitio. Sed nec iſtæ ſunt vltimæ Diſpoſitiones ad Animæ rationalis introductionem. Siquidem demonſtrabitur poſteà, quod Organizatio referens Effigiem humanam, omninò ſit neceſſaria, antequam introducatur rationalis Anima. Nunc tertium Auctoris noſtri procedat argumentum, cuius gratiâ præcedens præmiſſum fuit & examinatum. *Parentes* (inquit) *non ſunt cauſa proxima; quin imò, ne quidem vllo modo ſunt cauſa remota Organizationis Fœtûs.* Patrem tibi do non eſſe cauſam proximam; quoniam, quando fit Organizatio, poteſt eſſe mortuus. De matre muliere, quamuis poſsit eſſe dubium; quandoquidem intra ſua viſcera Fœtus conformetur; nihilominùs etiam concedo, Vterum non habere per ſe vim certam & determinatam, proximè huiuſmodi & huiuſmodi lineamenta in

129. & priùs ſæpè.

Fœtu

Fœtu effigiandi; cùm indifferenter conformetur in eo Maſculinus Fœtus non minùs quàm Fæmininus. Prætereà cùm Mola in eo efformetur, & talia diuerſa. Vterum tamen eſſe vnam è proximis partialibus cauſis adiuuantibus, ſine quâ non fieret Conformatio, non eſt quod
28. dubitem. *Confert enim Vterus peculiarem quandam proprietatem, quâ Maſſam Prolificam amplectitur, miſcet, fermentat, & fouet*, teſte Fieno. Et inſuper addo, Vterum, locumque, viamque præſtare; quâ per Cotyledones ad Funiculum Propagationis, ex matre, Sanguis, Spirituſque vitales, Calorque natiuus, *prouehantur intimè in ipſum Fœ-*
122. *tum, eius & nutriendi, & augendi, & quadantenùs viuificandi gratiâ*: idque præter illos Spiritus, Caloremque natiuum, quæ Mater ex parte ſuâ contulit, in primam Maſſæ Prolificæ conſtitutionem. At nego, Patrem & Matrem, non eſſe cauſas

remo-

remotas Organizationis Fœtûs. Sanè, ſi præcedens argumentum Auctoris noſtri eſſet verum, nimirùm, Spermatificatione factâ, parentes nihil ampliùs efficere, nec producere quidquam circa Fœtum, quod poſteà foret cauſa proxima: ſed Animam ſolam, quæ circa tertium diem aduenit, totum quicquid fit facere: verum etiam eſſet, Parentes ne quidem eſſe cauſam remotam Organizationis Fœtûs. Etenim cauſa remota eſt, quæ eſt cauſa cauſæ. Iam, dato, quod nullam cauſam produxerint, quâ Fœtus proximè conformatur, non eſſent etiam cauſa cauſæ cõformationis. Ergo non eſſent etiam, ne quidem cauſa remota Organizationis. At pater & mater, etiam in Hominibus, per ſibi inſitam vim Generatiuam, vt cauſæ per ſe & propriæ, in ipsâ Conceptione, producunt & imprimunt vim ſufficiẽtem in Maſsâ Prolificâ (ſiue ea vis) ſit Spiritus
Confor-

Conformator, (quem alio nomine Progenitorem aut Procreatorem voco) siue sit Anima aliqua sensitiua) quæ constituens intrinsecè Massam Prolificam, causa est immediata & per se, cur ipsa tanquam totale Suppositum, sese ipsam conformet in Effigiem Humanam. *Idem enim potest*
24. 136. *agere in se-ipsum actione perfectiuâ*, ipsomet asserente Fieno, cuius argumen-
28. vsque 36. 88. vsque 124. tum quartum tale est. *Nec Calor natiuus, nec Spiritus aliquis in Semine, nec Facultas aliqua impressa, nec vlla vis alia, siue intrinseca sit, siue extrinseca, nihil tale est causa efficiens Organizationis, antequam Anima sit in Plantis aut Brutis educta de potentiâ materiæ; vel in Hominibus, Rationalis à Deo in Humano Fœtu sit infusa.* Videamus, an Massa Prolifica non posit dici Conformationem suam efficere, per Calorem suum Natiuũ, perque Spiritus sibi insitos, atque per Facultatem Conformatricem sibi à Parentibus impressam; quæ tria simul

mul ſumpta Spiritum Progenitorem nomino. Vtique Calor Natiuus ex Parentibus procedens, cum Materiâ Seminis craſsiore transfunditur in Vterum: ſimiliter etiam Spiritus, tum Animales, tum Vitales, tum Naturales, tum Generatiui. Hique Spiritus, deferunt ſecum Facultatem aliquam abs ipſis Parentibus influentem, cùm ſint Facultatum vehicula. Inſuper Gal. de vſu par. 14. ſic ait, *Spiritus & Humor coïre debent in Conceptione, ille vt motûs principium, hic vt materia* (ſupple, corpulentior.) Vnde patet, quod hi Spiritus, Facultatibus his & Calore Natiuo grauidi, permiſceantur cum Materiâ craſsiore Seminum. Atque ex illis omnibus fit vnum Mixtum, quod Maſſam Prolificam appello. Equidem Spiritus iſti (Calorque Natiuus & Facultates) reſpectu Maſſæ Prolificæ quā conſtituunt, inſiti iure merito no-

minandi ſunt, etiamſi reſpectu Parentum, ex quibus procedunt, ſint abs ipſis influentes. Iam, cùm Maſſa Prolifica, ex his omnibus ſit conſtituta, intrinſecè inſtructa & temperata; quare non poſſet optimè dici inſtructa eſſe, ad ſe-ipſam vſque ad Effigiem ſuæ ſpeciei conuenientem, perficiendam? Sed hæc non vult ad-
92. mittere noſter: *Conformatio* (inquit) *eſt actio vitalis; atqui omnis actio vitalis prouenire debet ab Animâ; verùm, talis Maſſa Prolifica Animam non haberet; ergo non poſſet Conformationem efficere*. Eſto, Conformatio ſit Actio vitalis: eſto etiam, quòd omnis Actio vitalis, debeat prouenire ab Animâ; eſto quoque Maſſam Prolificam (caſu iam dicto) non habere Animam. Nego interim Conformationem, quam efficit Maſſa Prolifica, non eſſe Actionem vitalem: nego etiã hanc actionem non prouenire ab Animâ. Prouenit enim ab Animâ Parentum, vel meliùs,

meliùs, à toto Parentum Suppoſito, vt à causâ verâ, etiamſi remotâ. Conformatio ſiquidem eſt actio corporea ſubiectaturque ideò in corporeâ Maſsâ. Anima verò quæuis non omninò immediatè; ſed mediantibus Spiritibus & Calore Natiuo, per Facultatem aliquam in Corpore ſubiectatam, actiones corporeas efficit; qualis eſt Nutritio, & ſimiles: Hâc ratione, mediantibus Spiritibus & Calore Natiuo, quem Parentes transfuderũt in Maſſam Prolificam, Animæ ipſæ Parentum, per Facultatem Conformatricem in iſtis Spiritibus ſubiectatam, efformant ipſam Maſſam Prolificam in Effigiem ſuæ ſpeciei conſentaneam. Quî hoc? inquies, Parentum Calor Natiuus eſt Accidens in Parentibus ſubiectatum, ac proinde, de ſubiecto illo in Maſſam Prolificam migrare non poteſt. *Potentiæ etiam ſunt ab Animâ inſeparabiles, promanant enim ex ſinu &* 94.

 eſſentiâ

94. *essentiâ eius, & in ipsâ subiectantur*. At negare possum, vegetatiuas Animæ Potentias in Animâ subiectari, non magis quàm Calorem in Sole; & affirmare, potiùs in Corpore, aut saltem in toto Supposito illas inhærere. Nec dicimus, Calorem Natiuum, qui est in Parentibus, ex eis migrare in Massam Prolificam: sed docemus Calorem Natiuum Parentum, sibi similem generare Calorem in Spiritibus Influentibus; & sic in illos Spiritus promanare Facultates Influentes, quæ cum illis Spiritibus in Vterum deductæ, fiunt Massæ Prolificæ Facultates propriæ, & insitæ. Hoc non sufficit Auctori contendenti, *quòd actio vitalis, vitalis non poßit esse, ni-*
94.
95. *si vbi est Anima*. Sed, quare actio corporea vitalis, non posset ibi esse, vbi non est Anima? Concoctio Chyli in Ventriculo, Concoctio Chymi in Iecore, & similes actiones corporeæ, nonne sunt Actiones vitales? & interim,

rim, nonne Concoctio ista est in Chylo? Sanguificatio ista est in Chymo? in illis tamen non est Anima. *Sed Anima* (inquit ille) *semper debet influere actu & præsentialiter, vbicumque sunt Actiones vitales.* Nego: Sufficit enim Spiritus Facultate & Calore vitali præditos, istas actiones efficere. *Non est verum* (inquit.) *Nam actiones, quas ijdem Spiritus & Calor, post Mortem, adhuc in Cadauere superstites edunt; vt Palpitatio, quæ aliquando adhuc in Musculis ad aliquod tempus animaduertitur, excitata à Spiritibus suâ naturali virtute exire conantibus; & Calefactio quæ percipitur in manu, ab eius in Abdomen recenter extincti animalis impositu; non sunt actiones vitales, sed actiones merè physicæ & naturales.* Ita, Palpitatio ista, Calefactio ista, non sunt Actiones vitales; sed meræ physicæ & naturales. Verùm Calefactio ista, non est actio Caloris Natiui, vt Natiuus est; nec Palpitatio ista, est aliquis Spirituum

Folio 95.

2. de gen. ani. c. 3. motus. *Calor namque Natiuus*, teste Aristotele, *non ignis Facultate, sed sublimiore multò, actiones vitales peragit.* Calor namque Natiuus, Calor est, & Natiuus: Natiuum istud, aliquid superaddit Calori. Quâ Natiuus est, peculiares habet actiones; & quâ Calor, alias quoque peculiares. Quâ Natiuus est, actiones vitales efficit, attrahit, expellit, applicat, Sanguinem conuertit in Demensum, Demensum in Rorem, Rorem in Gluten, Gluten in Cambiũ, Cambium in Corporis substantiam, in Os, in Carnem, in Membranas & Neruos. pluresque alias similes functiones exercet, quæ omnes sunt actiones vitales. Sed quâ Calor est, vt sic actiones quas efficit, vitales non sunt, non ampliùs quàm Solis aut Ignis Calefactio, vitalis est. Calorem nempè alterum aliquem, generat Calor ille quâ Calor est, quo Corporis Partes alio modo non calefiunt,

quàm

quàm veſtes quibus Corpus contegi-tur. quæ calefactio veſtium,ſanè non eſt vitalis. Ergo Calor qui in Cadauere, poſt mortem, pauxillo tempore relinquitur, non eſt vitalis: nec eius Calefactio quæ fit in Manu meâ, quando abs Abdomine adhuc calido Cadaueris iſtius caleſco, vitalis eſt. Non ſic quâ Natiuus eſt. Natiuus enim, quâ talis, quando Mors aduenit, protinùs extinguitur, & omnes eius actiones in Cadauere protinùs ceſſant. Mors enim teſte Philoſopho, Natiui Caloris eſt extinctio. Quæ igitur poſt mortem in Cadauere percipitur Calefactio, Natiui, vt ſic, non eſt actio, ſed Caloris tantummodò. Palpitatio verò, quæ in Cadauere recenter extincto adhuc animaduertitur, non eſt Spirituum motus; ſed eſt tantùm aliquid aëris interni priùs calefacti, quod ſubtilioris vaporis adinſtar, foras ſatagit erumpere. Et illud fit ſimiliter vt in

Lacte bullito quando refrigeratur.
Vetula enim, siue graus, siue crusta,
quæ Lacti superinducitur, cùm re-
frigeratur, similes motus palpitati-
uos edit omninò, quales Musculi &
Membranæ in dicto Cadauere tunc
faciunt. Interim Spiritus Massæ Pro-
lificæ, etiam in absentiâ Animæ,
actiones vitales efficere possunt. Per-
sistit iterum contendere noster Au-
ctor, non persistere Facultatem Con-
formatricem in Spiritibus Semi-
num. Imò negat, multis in Semini-
bus Spiritus vllos adesse, his verbis
dum vtitur. *Virtus Conformatrix, non
est in Spiritu Seminis Piscium, Auium &
Plantarum: quare, neque in Spiritu Se-*
118. *minis aliorum animalium. Probatur* (in-
quit) *quia in Ouis Auium quæ habent ra-
tionem Seminis, & in Seminibus Piscium
& Plantarum, nulla talis est substantia
spirituosa. Nam quæ substantia spirituosa
est in Albumine Oui, naturâ frigido & hu-
mido, & iam ab aëre ad multos dies, actuali
frigiditate*

frigiditate refrigerato? Quæ ſubſtantia talis eſt in Seminibus Plantarũ, iam diu in Scrinio cuſtoditis & exſiccatis, & interim adhuc fœcundis? Adhuc fœcundis, ſine Calore Natiuo latitante, ſine Spiritibus, ſine Facultatibus inibi ſopitis, & in actu primo exiſtentibus? Mihi non fit veriſimile. Nonne Semina fœcunda ſunt ideò, quia in illis adſunt Spiritus Facultate Conformatrice præditi, teſte Philoſophorum Principe, 2. de Generatione animalium capite 3. his verbis? *Ineſt Spiritus in Semine* 29.
omnium, qui facit vt fœcunda ſint Semina. 20.
& primò de Partibus animalium. 35.
Semen principium eſt, & efficiens rei quæ gignitur. Quem commentans Auerrhoës ſcribit, *Semini ineſſe Facultatem cum Calore fixo.* At auctoritates cur profero, quandoquidem contra eum qui nullas auctoritates curat, mihi ſit negotium? nunquid etiam auctoritatem ſuam reijciet? Is reuerà, concluſione ſextâ, quæſtionis quintæ,

65. profert ſententiam hanc ſuam. *Anima rationalis, ſemper producit in Semine, Calorem actualem, & Calor actu, ita eſt de eſſentiâ Seminis, vt ſi Semen, vel minimo momento perderet eum, ſtatim deſineret eſſe Semen, & deſineret eſſe fœcundum.* Ergo Semen Humanum fœcundum eſt ratione Caloris, qui hâc in materiâ coincidit cum Spiritu. & alibi hic Auctor hæc habet verba: *Spiritus Se-*
119. *minis citiſsimè in aërem euaneſcunt, & ſuo receſſu, relinquunt Semen infœcundũ.* & iterùm alibi: *Semina* (Plantarum) *ad ali-*
52. 93. *quod tempus ſunt fœcunda, & poſteà ſuam fœcunditatem perdunt; quia Spiritus Semini inexiſtentes euaneſcunt.* Alibi rursùm. *Dico, Calorem cœli non conformare animalia quæ tempore aduentûs Solis generantur: ſed aliam quandam vim materiæ Seminum*
35. *analogè inexiſtentem. Calorem verò Solis ſolùm actuare Calorem in his Seminibus ſopitum ac latentem, vt vis Conformatrix eis inexiſtens, eo Calore ad actu conformandum valeat vti.* Has ſuas-met auctorita-

tes

tes contra noſtrum Auctorem vſurpo: & probo, Spiritus qui in Seminibus continentur, eſſe cauſas cur ipſa Semina ſint fœcunda. Attamen contrà proſequitur, & ait: *Ad hoc vt* 118.
illa virtus poßit eſſe Principium Conformationis, deberet ineſſe tali ſubſtantiæ, quæ Semini eſſet maximè intrinſeca, eiq́ ; eſſentialiter vnita. Ineſt tali ſubſtantiæ. ineſt enim Spiritibus primariò, & per eos reliquo Semini cuius Pars eſſentialis ſunt Spiritus. *Non poteſt fieri* (in- 119.
quit) *Spiritus enim non ſunt Semini intrinſecati, nec Semini eſſentialiter vniti. Etenim propter ſuam tenuitatem & fluxibilitatem, non poſſunt ſubſtantiæ Seminis ſic vniri & intrinſecari, quin poßint ab eâ ſemper auolare.* Benè eſt. igitur, ſi demonſtrentur, Spiritus vniri poſſe ſubſtantiæ craſsiori Maſſæ Prolificæ, poterit quoque dici, quòd Virtus quæ eſt in eis, ſit Principium Conformationis. Sed quare optimâ Mixtione vniri non poſſent? quando-
quidem

quidem Ignis, corpus multò ſubtilius quàm ſint Spiritus ex quatuor Elementis conſtituti, vniatur eſſentialiter in Mixtione cum Terrâ, quæ multò craſsior eſt, quàm ſit illa portio, quæ Maſſæ Prolificæ corpulentior Materia cenſetur. Subdit: *In aërem*
119. *rem euaneſcunt Spiritus, & ſuo receſſu relinquũt Semen infœcundum.* Non ita facilè euaporant inſiti (de quibus hîc) poſt decentem permixtionem vniti & intrinſecati. Et, quid tum poſteà? Quaſi verò Ignis & Aër non poſsint eſſe partes eſſentiales plurimorum Mixtorum, quia hic citiſsimè ex multis euaporat, iſte verò adhuc ocyùs ex plurimis exhalat. Itaque, Virtus iſta Conformatiua (à Parentibus in Spiritus Seminis impreſſa tunc, quãdo Maſſa Prolifica ex illis cum craſsiore Materiâ mixtis, in Conceptione fuit conſtituta) fit, non ſolummodò inſtrumentum Parentum, ſed reuerà fit propria ipſius

Maſſæ

Maſſæ Prolificæ Virtus: quâ, ipſa, tanquam Agens principale, per inſtinctum naturalem ſibi inſitum, ex ſe-ipsâ, Membra Corporis conformat & delineat vniuerſa. Et iſta Maſſa, per virtutem ſuam, dum ita conformat, (veluti hâc in parte, diuinè philoſophatur Auicenna) *operatur ex præcepto Creatoris ſui Naturæ Auctoris*, 221. Fen. 1. Doct. 6. cap. 2.
qui ſicut in principio, ſimiliter etiãnum, per ſemper-creantia hæc verba, *Germinet, Producat, Multiplicamini*, talem conformandi naturam Progenitoribus Spiritibus implantauit. Gen. 1.
Nec ceſſat adhuc noſter. ſed quid adhuc ſuggerat, videamus. *In Semine, multæ ſunt diſpoſitiones occultæ, quæ niſi laterent ibi, ſequeretur ex Semine Humano Brutum, & ex Semine Brutorum Hominem aliquando poſſe generari. Similitudo namque liberorum ad Parentes non neceſſariò primò & per ſe, ab ipsâ Facultate Conformatrice dependet* (inquit) *ſed à ſpeciebus exemplaribus Semini inhærentibus, at-* 54. 15.

que ab

que ab ipsâ materiæ Diſpoſitione ac Confor-
198. *mabilitate. Siquidem, Formatrix Facultas ex naturâ ſuâ eſt indeterminata* (inquit) *& indifferens, ad omnes Figuras, & ideò debet determinari ab aliquo, ad producendum potiùs hanc quàm illam. ad producendum videlicet Figuras tam diuerſarum partium, Cordis, Cerebri, Hepatis, & aliarum omnium. ad quas non poteſt determinari ab vllo, præterquàm ab huiuſmodi Simulacris & Idolis in Materiâ ſeminali latitantibus.* Sat habeo. cõſtrictum teneo. vt quid ergo hactenùs inſudauimus tantoperè, vt reperiremus cauſam Conformationis, quæ determinata foret ad Organizationem ſuæ ſpeciei conformandam; ſi quidem determinatio ipſa, ab iſtis Simulacris dependeat, & ex parte Materiæ ſe teneat, atque iam exiſtant ipſa hæc Idola Conformationis in Seminis Materiâ, à Parentibus impreſsâ? Reſtat quippe, hoc poſito, dumtaxat, vt latentes iſtæ Diſpoſitiones, (Simulacra nimirùm

mirùm Conformationis) reducantur in actum quo Conformatio ſit perfecta. *Redigi autem in actum latentes in Semine Diſpoſitiones oportet*, teſte ipſo Fieno, *antequàm introducatur Anima.* Atqui, eodem aſſerente, *Vteri Virtus cum Calore Natiuo & Spiritibus, ſufficiũt ad actuationem. Per actuationem* autem *Auctor, hîc non intelligit Informationem ſubſtantialem Animæ: ſed accidentalium Diſpoſitionum excitationem tantummodò.* Ergo antequàm introducatur Anima, Vteri Virtus cum Calore Natiuo & Spiritibus, ad Organizationem ſufficiunt. Doctrina hæc (Auditores ornatiſſimi) quam huc vſque de Fœtûs Organizatione ſumus proſequuti; videtur cum Naturâ, optimè conuenire. Sed etiam Auctori noſtro concedamus, Conformationem Membrorum cuiuſque Fœtûs, primam omninò, effici ab Animâ, Maſſam Prolificã intrinſecè & formaliter informante. Concedamus (inquam) idque

Paginis Fieni 122. 233. 234. 235. 241. 342.

28.

idque eò libentiùs facio, quòd hanc ſententiam, & Hippocratis, & Galeni, & Ariſtotelis, & ſancti Thomæ Scriptis, maximè conſentaneam arbitrer eſſe. Hippocrates enim primò de ratione victûs. *Si quis Animam, Animæ commiſceri minimè ſibi perſuadeat* (inquit) *is ratione caret*. Quem locum Andreas Laurentius interpretatur hoc pacto. *Si quis ex permixtione Seminum, Animam oriri non putat; is ratione caret.* Galenus l. 1. de Semine. *Semen* (inquit) *habet à principio quatuor Facultates, nimirùm Attractricem, Retentricem, Cōcoctricem & Expultricem*, quæ, procul dubio, ſunt Animæ actu informantis Facultates. Ariſtoteles 2. de Generatione Animalium capite 5. *Conceptum nemo ſtatuerit vitâ omnibus modis priuatum.* & cap. 1. *Semen habere Animam palam eſt.* S. Tho. 1. par. q. 118. ar. 2. ad 2. *Aliqui dixerunt* (inquit) *quòd operationes vitæ, quæ apparent in Embryone, non ſunt ab Animâ eius, ſed ab Animâ Matris,*

l. 8. Anā. cap. 4.

Matris, vel à Virtute Formatiuâ, quorum vtrumque falsum est (inquit.) *Et ideò dicendum est, quod Anima præexistat in Embryone.* & priùs articulo 1. ad 4. dixerat. *in quâ Materiâ statim à principio est Anima.* Et profectò, ratio est in promptu. Cur enim aliàs, ex Semine Tritici Triticum oritur potiùs quàm Auena? cur ex Ouo Anatis oritur Anas, & ex Ouô Gallinæ Pullus Gallinaceus, & non Anser? Cur ex Equi Semine Pullus equinus & non Canis, cur ex Canis Semine Catellus & non Vitulus generatur? Annon propterea præcisè, quia in illis Seminibus, est aliqua Forma intrinseca substantifica, quæ formaliter secundùm esse, determinat illa, vt sint in eâ specie in quâ sunt, potiùs quàm in alterâ? Atqui forma illa, aliud esse nequit quàm Anima, istic in actu primo, præsentialiter, habitualiter, & reuerà secundùm esse suum posita; etiamsi actutum non operetur. in tantùm, vt

 deinceps

deinceps requiratur ſolummodò, Animam illam (quæ à principio in Maſsâ Prolificâ realiter latitabat) excitari per Virtutem Vteri, aut ei vicariam, itemque per Calorem Natiuum & per alias cauſas adiuuantes; vt iſta hæc Anima, abs illis excitata, incipiat Corpus ſuum Organizare, & vitæ reliquas Operationes exercere. Dixi.

SCRVPVLVS A PRÆSIDE PROPOSITVS.

Habitæ namque fuêre Orationes hæ, in Quæſtionibus Quodlibeticis. 1622.

COntentione ſummâ ad finem vſque Orationis penè, adlaboraſti Expertiſs. Domine, vt viam tibi ſterneres ad probandum, Animam rationalem, ante Conformationem non infundi. Verùm iam in calce, vidêris palinodiam canere, & concedere, ante Organizationem, Animam rationalem circa tertium diem produci.

RE-

REPLIQVA.

NIhil minùs, Clariſsime Domine Præſes. Ego enim toto cœlo abs iſto Auctore hac in parte diſsideo. Nam primò, etiamſi concedam cuiuſuis Fœtûs Organizationem fieri à præexiſtente Animâ: non tamen ideò dico, Organizationem Fœtûs humani fieri ab Animâ rationali; ſed benè quidem, ab aliquâ Animâ. Secundò, etiamſi concedam Animam illam quæ conformat, ante Organizationem in Maſſam Prolificam induci: non tamen dico iſtud fieri circa diem tertium à Conceptione, ſed multò citiùs; in ipsâmet videlicet Conceptione. *Si namque tantummodò tertio die* 128.
à Conceptione, iſta Anima de nouo in brutis aduenit; peto ego ab Auctore huius ſententię. Quid eſt quod tunc educit de potentiâ Seminis, hanc Animam Conformatricem? quæ eius tunc eſt cauſa efficiens? Te Auctore non eſt Deus, non Sol, non Pater, non Ma-

ter, nulla Vis generatiua Parentum, nulla Vis à Parentibus profluens, non Vterus, nec vlla ipſius Virtus, non Calor Natiuus Parentum, non Calor Natiuus Seminis, nullus Spiritus, nulla vis vndecumque poſsit eſſe in Semen impreſſa, nulla cauſa actuans, nihil extrinſecum, nihil intrinſecum Semini. Quid ergo? dic inquam. quid igitur iſto die tertio, poſt duorum à Conceptione ferias dierum, quid educit hanc Animam, quid hanc ſubſtantialem Formam de materiæ Seminis potentiâ educit? Animam Pulli Gallinacei, quæ aſſerente te, tertio die ab incubatione, primùm educitur de Oui potentiâ,
95. quis tunc producit? *Nihil poteſt agere ſupra ſuas vires*, inquis, *nihilq́ poteſt alteri dare quod ipſum non habet. Ignobilius, Formam ſe nobiliorem*, te teſte, *nequit producere*. Dic igitur, quid ergo iſto die tertio, quid educit de potẽtiâ materię Seminis iſtas Formas, iſtas Animas?

Ego aliter multò, genuinam iſtius Animæ productionem aſsigno, dum aio, Parẽtes ita effectiuè Fœtus ſuos efficere, quemadmodùm Sol aut Ignis, Ignem efficiunt. Dum (inquam) aio, Confluentibus vndequaq; Spiritibus, Animalibus, Vitalibus, Naturalibus & Generatiuis, cum Calore Natiuo, & alijs multis genialiter adiuuantibus cauſis, Naturâq́; hinc, & hinc totâ, in noui Animalis productionem ſe totam impendente, interim dum fit Conceptio, omninò à principio, tota Parentum Suppoſita, vi Animarum ſuarum agentia, per Facultatem ſuam Generatiuam; de potentiâ materiæ Prolificæ, ex ipſis profluentis, & conſtitutæ ex pluribus; educere Animam Fœtûs Senſitiuam, quæ protinùs ipſam Maſſam Prolificam informat, & incipit Organizationem ſui Corporis, perficitq́ue, donec in Hominibus, in ipſum hoc Corpus iam notabiliter re-
 ferens

ferens Figuram Humanam, Deus Opt. Max. infundat Animam rationalem. Quâ adueniente, excellentiâque suâ præcellente, desinit ista præexistens Anima Conformatrix, in rerum esse naturâ. Hîc, digladiatur noster Auctor, & tela vndiq; suggerit, quæ potest validissima. Attendite quæso Domini mei, & Concertationem nostram patienter intelligite. Incipit his verbis: *Anima ratio-*
161. *nalis prima & sola introducitur in Fœtum,*
184.
199. *& nulla alia præcedit eam, conformatque Corpus proprium, quia infunditur tertio die, ante omnẽ Organizationem.* Illud autem tam confidenter asseuerat, vt sub-
161. iungat. *Hæc conclusio est vera, & contraria videtur mihi esse longè absurdissima; vt adeò supra modum mirer, nec mirari satis possim Angelicum Doctorem, tantum Philosophum eam potuisse tenere.* Bona verba quæso. sanè, poterat istud paullò modestiùs proferri. Sed audiamus virum. Primò ita se probare putat. *Si*
in

*in Embryone, Animam rationalem præcederet aliqua Vegetatiua, & aliqua Sensitiua, sequeretur Animam Embryonis esse specie distinctam, ab Animâ Plantarum & Brutorum. Atqui hoc est absurdum,*inquit. nego: Non enim est absurdum, sub Vegetatiuâ Animâ, Animam Pyri, Pomi, Cerasi, Tiliæ, Fagi, & similes diuersas Animæ Vegetatiuæ species contineri. nec est absurdum, sub Sensitiuo, diuersas species collocari. Cõtrarium contrà, absurdum esse Cathegoriarum series docet. Interim de Vegetatiuo, mihi cura non est magna. Quoniam pono, in Conceptione ipsâ, Bruta & Homines, Animam sensitiuam in actu primo introducere: quæ Sensitiua, dicitur quidem tamdiu Vegetatiua, quamdiu solas operationes Vegetatiuas exercet; & tum demùm dicitur Sensitiua, quando Sensitiuas actiones operatur. Hęc autem Anima Sensitiua Embryonis Humani, non minùs est ens comple-

tum, quàm ſit Anima Bombicis aut Erucæ, etiamſi ordinetur ad aliud; *quemadmodùm Chylus, Sanguis, Lac, Me-*
164. 183. *dulla, quæ etſi ad aliud ordinẽtur, in ſuo genere tamen completa ſunt.* Quamobrem hoc argumentum valdè eſt leue, nec plùs eſt in ſecundo ponderis. *Si Hu-*
162. *manus Embryo* (inquit) *priùs habuiſſet Animam Vegetatiuam; dein Senſitiuam: ſequeretur illum qui nunc eſt Homo, priùs fuiſſe Plantam, posteà Beſtiam.* Galenus id non curat magnoperè; ſit ita &
1. de Sẽ. *vocetur Plantanimal,* inquit. Ego autem vno verbo reſpõdeo: Non fuiſſe Beſtiam. Quid ergo inquies? Quid? fuit Humanus Embryo. Ecquid ibi eſt difficultatis? Nec in tertio eſt aliquid magni momenti, quod ſic habet. *Si propter exactiorem Organizationem, deberet Anima rationalis ſuperuenire; ſequeretur, quando Semen Porcinum eſſet in Vtero Suis, organizatum exactiùs,* (puta, quando iam eſt in procinctu, vt pariat Sus) *ſequeretur* (inquit) *quòd tunc,*

Anima

Anima rationalis deberet infundi in Porcelli Corpus meliùs conformatum, potiùs quàm in Humanum Embryonem circa diem quadragesimum, vtpotè qui tunc non est ita exactè Organizatus, vt est Porcellus imminente partu Suis. Crederet istud facilè delirus quispiam Pytagoras, dum canit, 167.

O! quantum scelus est in visceré viscera condi, 15.Meta. Ouid.
Alteriusq́; auidū pinguescere Corpore Corpus,
Alteriusque Animantem Animantis viuere Lætho.
Quid meruêre Boues, Animal sine fraude doloq́ue?
Quoslibet occupat artus
Spiritus, èque Feris Humana in Corpora transit.
Parcite, Vaticinor, cognatas cæde nefandâ
Exturbare Animas.

At, at, ne metuite. Quoduis enim Animal Brutum, quantumuis egregium, & in suo genere optimè conformatum; Embryone quantumuis

 pusillo,

pusillo, in Humanam Effigiem conformato, multò ignobiliorem Conformationem obtinet. Equidé, Hominem, nempè

1. Meta. Ouid. *Sanctius hoc Animal, mentisq; capacius altæ,*
Ille Opifex rerum, Mundi melioris Origo,
Finxit in Effigiem moderantûm cuncta Deorum.
Pronaq; cùm spectẽt Animalia cætera terrã,
Os Homini sublime dedit; Cœlumq; tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere Vultus.

Humanum Embryonem, ad Figuram Humanam iam conformatum iuxta Protoplasti Idæam, Naturæ ad imitandum propositam à Domino Deo, qui dixerat: *Faciamus Hominem ad imaginem nostram*; quis ferat postponi natis ex Sue luridâ Scatophagis? Ad quartum pergamus, quod rei non habet ampliùs. *Anima Sensitiua est distincta specie, à Rationali Parentum*, inquit. Ita sit. Subdit: *Sed Forma specie distincta, non potest producere Disposi-*

Gen. 1.

168.

Dispositiones necessarias ad introductionem Formæ alterius speciei. Cur non? Cùm Anima & Bruti & Hominis, quæ Formæ sunt specie distinctæ, producant quottidiè Dispositiones in rebus, quæ sunt specie distinctæ, *in Cibo vt induat Formam Chyli, in Chylo vt induat* 164.
Formam Sanguinis, in Sanguine, vt induat Formam Partium. Deinde, quod plùs est, nonne omnes causæ æquiuocæ producunt Formam alterius à se speciei? Nonne Sol per Speculum pyrausticum, Ignis speciem in Stuppâ generat, & Formam Lapidis in terrâ? *At saltem, vna & eadem causa* (inquit) 168.
in eâdem materiâ, non potest tam diuersos producere effectus. Quidni? dummodò illa Materia, in se habeat latentes portiones diuersimodè conformabiles. Iam, secundùm Fienum ipsum, *in Semine sunt aliqua Simulacra impressa à Parentibus, secundùm quæ Anima introdu-* 188.
cta Organizat. Organizat autem instinctu naturali, quo potest illa Simulacra apprehendere,

dere, & ſecundùm illa conformare. Quidni igitur Anima Sẽſitiua, in Maſſam Prolificam Humanam introducta, repperiens in eâ, Simulacra quæ referre debẽt Effigiem Humanam, non conformaret eam in hanc Effigiem? Obijcit quintò: *Anima inferior non poteſt habere Inſtinctum Organizandi Partes, ad aliam Animam ſe perfectiorem. ageret enim alioquin ad ſui deſtructionem.* Reſpondeo, quòd Anima Senſitiua Embryonis, poſſit dici non Organizare, per Inſtinctum quem habeat, vt ſic, ad perfectiorem Animam: ſed quòd totum Suppoſitum, Maſſa Prolifica nempè, informata per Animam Senſitiuam, habẽs Inſtinctum ſe perficiendi, organizet ſeipſam perfectiùs & perfectiùs. & tunc; Quando ita perfecta eſt, vt ſufficienter referat Effigiem Humanam, *cùmq; Fœtum in Vtero, neceßitas diuina formârit,* quemadmodùm ait Lactantiùs, Deus, qui Hominem vult fieri participem

Lib. de Opificio Dei. cap. 7.

cipem immortalitatis, Inſpirat Spiraculum Vitæ, id eſt Animam rationalem infundit. Hanc equidem Animæ Infuſionem, ſi (per impoſſibile cursûs ordinarij naturæ) Deus tunc ſuſpenderet; Embryo qui per Animam Senſitiuam huc vſque deductus eſt, *Temperiem & Conſtitutionem acciperet talem, vt neceſſariò eſſet futurum quoddam Animal ſuâ ſpecificâ donatũ Animâ*, Franciſco Valleſio ſi credimus. Certè in Monſtris viuentibus, natis de muliere, nullamq; Figuram Humanam referentibus, aliqua eſt Anima, eaque Senſitiua tantùm & non Rationalis. Hinc patet, quòd Embryo, dum ſe conformat, in ſui deſtructionem non operetur. Adfert deinde Noſter argumentum ſextum nobis, quod præcedentis eſt correlatiuum, huiuſmodi. *Non poteſt produci Forma eiuſdem vnius ſpeciei, ab agentibus diuerſæ ſpeciei. ſed, ſicut omnes Animæ rationales ſunt eiuſdem ſpeciei; ita quoq; Senſitiuas*

Philoſoph. Sacra. cap. 4.

177.

ſitiuas omnes eiuſdem eſſe ſpeciei cenſendum eſt, inquit, *Ergo ſi Anima Senſitiua producatur à Bruto, non poterit etiam ab Homine produci*. Nego maiorem, negoq́; minorem. Maiorem nego; quia & à Sole, & ab Igne, Ignis Forma poteſt generari. Hæc autem, ſi à Sole genita fuerit, non differet ſpecie ab eâ quæ genita foret ab Igne. nonne etiam, & ex putredine, & à Mure, Mus eiuſdẽ ſpeciei generatur? Deinde tranſeat maior, nihil contra nos. Nam Anima Senſitiua Embryonis humani, & Anima Senſitiua Fœtûs Bruti, ſunt ſpecies diuerſæ. Quocirca nego etiam Minorem. Quia etiamſi omnes Animæ rationales ſint ſpeciei infimæ; tamen Anima Senſitiua eſt generica, continens ſub ſe plurimas Animas Senſitiuas ſpecie inter ſe differentes.
177. Siquidem *non per ſolas formas peculiares phyſicas* (ſicuti vult noſter Auctor) ſed per Animas, ſubſtantialiter & ſpecificè, differunt inter ſe, Pulex & Ele-

Elephantus, Muſca & Equus, Canis & Lepus. Quis enim dixerit Pulicem & Elephantum eſſe ſubſtantialiter eadem? Quis Canem, Leporinam dixerit habere Animam? Quis Equinâ Animâ Muſcam informatam ſomniauerit eſſe? Nihil ergo, hoc argumentum contra nos, non ampliùs, quàm ſeptimum ſequens. *Si introduceretur* (inquit) *in Fœtu Anima Senſitiua, Homo non produceret Hominem; quoniam non produceret omnes Diſpoſitiones, ad Animæ rationalis introductionem neceſſarias.* Imò verò hâc ratione, Homo multò magis producit Hominem, quàm Auctoris noſtri modo producatur. Hic etenim vltimam Diſpoſitionem vult eſſe Spermatificationem, inter quam & Animæ rationalis (ſuo modo) Introductionem, duo dies interijciuntur. Nos verò continuatâ ſerie, dicimus à Generantibus generari Materiam Prolificam, & inſuper Formam Senſiti-

170.

uam

uam in eâ, quæ per vim quam abs iſtis Parentibus nacta eſt, ipſam Materiam Prolificam conformat in Corpus Humanum, quod qui deſtruit, Hominem deſtruere cenſetur. Vt 2. Geneſeos dicitur, *Formauit igitur Dominus Deus Hominem de Limo terræ.* & 5. *Adam genuit Filium ad Imaginem & Similitudinem ſuam.* Et ſic vſque ad Introductionem Animæ rationalis, Homo per continuatam ſeriem, generat Hominem; & eò magis, quia etiam in ipſammet Introductionem cõcurrit, quando ad ipſius vnionem cum Corpore à ſe Organizato cooperatur; imò cùm ipſammet vnioné producat. Sequitur adhuc argumentum aliud. *Adueniente Rationali, perire*
172. *Embryonis Animam Senſitiuam oporteret, ſi ſenſitiua præexiſteret: quia duæ Formæ totales non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto. ſed à quo periret?* (inquit) *In Formis enim non eſt contrarietas. Rationalis igitur Senſitiuam antecedentem expellere nequit.*
Ergo

Ergo non antecedit Sensitiua. Deinde Dispositiones quæ induxerunt Sensitiuam, cùm aduenit Rationalis, non repugnant, vt adhuc ibidem conseruetur Sensitiua. Non repugnat, fateor, adhuc conseruari Sensitiuam ex parte Dispositionum. &, si credimus Vallesio, veluti paullò ante relatum est, si Dominus Deus, Organizatione factâ, Rationalem nõ infunderet, Sensitiua cum suis Dispositionibus perseuerare posset. *Quid igitur Sensitiuam adueniente Rationali expellit?* Rationalis ipsa. Nam etiamsi in substantiâ non sit contrarietas: tamen (sicut solidissimè docet Dominus Hangestus, in Libro de proprietatibus Formarum) in substantiâ est incompossibilitas, ratione cuius, sicut duæ Materiæ non possunt naturaliter esse in eodem loco præcisè; ita nec duæ Formæ totales simul esse possunt in eodem Supposito. Quæres, *quare Organizatione factâ increëtur Rationalis à Deo?* Quia

173.

Pag. 27.

Gen. 1. dixit Deus: *Faciamus Hominem ad Imaginem & Similitudinem nostram.* Exhausit autem omnes suas vires Homo, cùm Animam Sensitiuam, & Organizationem produxit; Et sic maneret Fœtus, sine Imagine & Similitudine Dei, scilicet sine Animâ immortalitatis participe; Nam (vt ait S. Th. q. 118. art. 2. in Corpore.) *impossibile est Virtutem actiuam quæ est in materiâ, extendere suam actionem ad producendum immaterialem effectum.* Ergo, vt Dominus Deus suum finem nanciscatur (quod Homo non potest facit, videlicet) Animam Rationalem increat & infundit. Sed, *quid tunc fit de Sensitiuâ?* perit, in nihilum redit. Si extinguas Candelæ Flammam; Forma Ignis quæ isti inerat, quo pergit, vbi reconditur? nullibi. Forma ista, velut nunquam fuisset, fit nihil: Similiter de Sensitiuâ contingit. Infert hinc Auctor noster. *Ergo Embryo moritur, antequam Homo nascatur. Probatur*

batur (inquit:) *nam in quo Subiecto Anima extinguitur, illud verè moritur. Ridiculum autem eſt Embryonem mori,* inquit. 171.
Ridiculi ſanè, grauiſsimus Auctor S. Tho. nihil habet. is interim quæſt. prædictâ, art. 2. ad 2. ait. *Neceſſè eſt dicere, quòd tam in Homine, quàm in Animalibus alijs, quando perfectior Forma aduenit, fit corruptio prioris; ita tamen, quòd ſequens Forma habet, quidquid habebat prima, & adhuc ampliùs: & ſic, per multas Generationes & Corruptiones, peruenitur* (inquit) *ad vltimam Formam ſubſtantialem, tam in Homine, quàm in alijs Animalibus.* Inſuper, nego inter deſitionem Formæ Senſitiuæ Embryonis, & aduentũ Animæ Rationalis, aliquam Mortem interuenire. & aſſero nullam tunc etiam dari interruptionem vitæ; ſiquidem continuatur ab Animâ Rationali eadem Vita, quæ à Senſitiuâ fuerat inchoata. Vtpote, Terminus idem, per diuerſas Actiones, à diuerſis agentibus ſibi ſucce-

dentibus conſeruari poteſt, continuari & perfici. Calor à Sole in Linteum impreſſus; abeunte Sole, nonne poteſt à ſuccenturiante igne conſeruari idem & continuari? Ita ab Animabus ſibi ſuccedentibus, Vita eadem, quæ terminus eſt actionum immanentium abs ipſis prouenientium, conſeruari poteſt, atque continuari. Et idem Inſtrumentum Vitæ, idem nimirùm Calor Natiuus, immediatè ab Animâ ſuccedente poteſt excipi, & in Operationes Vitæ porrò vſurpari. Sed ecce dum antecedẽs argumentum ſoluo, ſubſequenti ſatisfacio, quo probare nititur Noſter,
169. *à diuerſarum Animarum Facultatibus Con-*
170. *formatricibus ſibi ſuccedentibus, idem non*
Si primò introduceretur, &c. *poſſe conformari*. Veſtrâ tamen cum veniâ, Auditores, dum ad finem propero, liceat antecedentem Reſponſionem paullulùm recudere. Inter deſitionem Animæ Senſitiuæ Embryonis, & aduentum Animæ Rationalis,

nalis, nego aliquam aut Mortem, aut Cadauerositatem interuenire. Et inter desitionem eiusdem Animæ Sensitiuæ, & Informationem Animæ Rationalis, aio, Vitæ Interruptionem nullam dari. Vtique Anima Sẽsitiua Embryonis, desinit per primum sui non Esse, Rationalis autem aduenit per primum sui Esse. Eo quippè instanti, quo Anima Rationalis est infusa, vera est propositio hæc, Anima Sensitiua Embryonis iam non est, erat autem immediatè ante. & hæc: Anima Rationalis iam est, non erat autem immediatè ante. Hocq́ue modo, inter illas duas Animas, non datur interruptio. Deinde Calor Natiuus, Spiritusq́ue insiti & influentes, eadem vtrobique perstant. Atqui, Mors est Natiui Caloris extinctio; hîc, Natiuus Calor non extinguitur; Ergo inter desitionem Animæ Sensitiuæ Embryonis, & ad-

uentum Animæ Rationalis, Mors non interuenit vlla. Similiter, verum eſt, quod eadem maneat Vita, tādiu atque Functionum Vitalium continuitas perſiſtit; in Homine autem iamiam Animâ Rationali informato, integra manet continuatio Functionum earumdem, quæ priùs fuerant in Embryone. Nulla igitur, datur hîc interruptio Vitæ. Quamobrem Nutritionem, Accretionem, & reliquas Vitæ Operationes, ab vnâ Animâ fieri cæptas, nihil impedit ab Anima ſuccedente perfici. Iam finio Domini mei, vbi inſuper confecero argumentum aliud, quod eſt tale.
177. *Si in Generatione Hominis, Anima Senſi-*
178. 199. *tiua Rationalem præcedit; in Nutritione*
180. 181. *ipſius, Senſitiua etiam Rationalem præcedere deberet. quia non eſt maioris moliminis* (inquit) *in Generatione, Rationalem Animam, Semen ſubintrare; quàm ſit eandem Animam ſubingredi in Alimentum.* Quaſi verò, multò maioris non eſſet moli-

minis,

minis, ponere de nouo in rerum naturâ id quod non eſt, quàm ſit illam rem quæ iam exiſtit, intra terminos ſuos, ſeſe per virtutem iam acquiſitam, dumtaxat diffundere. Atqui, quando in Generatione, Anima Rationalis introducitur, id quod priùs non erat, ponitur de nouo in rerum naturâ: in Nutritione autem, Anima Rationalis ipſa, quæ iam nunc exiſtit, & quæ omnes gradus Animæ Vegetatiuæ & Senſitiuæ poſsidet, tãtummodò in applicatum alimentum, ſe ſuo modo debet expandere. Ergo non eſt neceſsè, aliquam Animam Senſitiuam, dum fit Nutritio, intrare Alimentum, quod conuertitur in ſubſtantiam aliti, priùs quàm diffundatur in illud, Anima Rationalis. Tandem, poſtremo hoc, cum cæteris, ab Auctore noſtro, prolatis argumentis, confecto; *Concludo*, Clariſsime Domine Præſes, *nulla adferri argumenta, quæ nos queant inducere, ad*

concedendum, in Maſsâ Prolificâ non organizatâ, Animam Rationalem increari.
Dixi.

QVÆSTIO II.

SOLIDIS-NE RATIONIBVS oſtendi poteſt, Animam Rationalem, ante Organizationem non infundi?


ACTENVS operam noſtram impendimus, in refutatione argumentorum opinionis neotericæ, quibus contendebatur, Animam Rationalem, ipſo principio Conceptionis, in Maſſam Prolificam, ante omnem prorsùs Conformationem introduci. Nunc videtur (Auditores Ornatiſsimi) ordinis ratio à nobis expoſcere; vt ſolidis Rationibus oſtendamus, Animam Rationalem, ante Organizationẽ non infundi. Quod dum facio, & communem totius Vniuerſi ſententiam, dum orthodoxis aucto-

xis auctoritatibus fulcio; vtri magis assentiendum sit, Auctori-ne nostro solitario cum suis Paradoxis, an mihi cum tantis viris, iudicate. Prodeo.
Si Semini in Vasis spermaticis Parentum 208.
adhuc existenti, inductæ sint vltimæ ad Ani- 209.
mæ Rationalis Fœtûs futuri Introductionem Dispositiones, ita vt præter illas nullæ
aliæ sint necessariæ; & non requiratur aliud 233. 234.
in Seminibus, nisi vt in Vtero misceantur, 200. 233.
& paullulùm fermententur; quo facto, circa tertium diem, ante omnem Organizationem, Anima Rationalis introducitur in Materiam adhuc liquidam & fluidam; quemadmodùm, conceptis verbis, arbitratur noster Auctor; sequitur Molam esse Animal rationale. Atqui Mola non est Animal rationale. Ergo ante Organizationem, Anima rationalis non introducitur. Maiorem incumbit mihi iam probare. Sed præstat priùs vno verbo, quid sit Mola interpretari. Mola est moles carnea, cute & membranis obducta,
 nullam

nullam Animalis Formam referens, venis tamen reſperſa compluribus, per quas venas,prolicit alimentum, & etiam accreſcit; facta in Vtero ex Semine Virili cum Mulieris Semine permixto; quæ naſcitur tandem ex Muliere, pedem ferè longa, & ſemipedem circiter lata, plùs, minùs; membranis vt Fœtus inuoluta; & ita viuit, vt à partu, quandoque per aliquot horas perceptibiliter ſe commoueat. Præter experientiam his-ce oculis perceptam, teſtes huius rei habeo, a.Ariſtotelem, b.Hippocratem, c.Galenum, d.Fernelium, e.Foreſtum, f.Paræum, g.Ioannem Gradium,&ipſum-met h.Fienum. Quid igitur reſtat, quo minùs Mola ſit Homo, cùm in eius principio, omnia ad Animæ rationalis introductionem, per noſtrum requiſita, fuerint largiter poſita? At Mola non eſt Homo, & tamen eſt Animal, & alterius ſpeciei abs Homine, quãuis ſit in

.4. de en. Animalium. .7. b.de Sterilibus, & de Morbis nul. c. 4. de vu partiũ. x 14. Metho. l. 6. paſſ. a. 15. e. 28. obſ. obſeru. o.61.f.l. 4.c.4. g. le Molâ. .pa. 18.

ſit in Homine ex Hominum Semine factum. Quò enim aliàs ſpectant hæc verba, à Fieno ſcripta, in Cõcluſione ſecundâ? *Si Conformatrix reſideret in Vtero, ſequeretur Vterum vno & eodem tempore, conformare Animalia diuerſæ ſpeciei, Hominem nempè & Molam animatam*, inquit. Quid igitur reſtat in ipsâ Molâ, quapropter Animam rationalem non habeat? Nihil profectò aliud, niſi quia non eſt conformata ſecundùm Effigiẽ Humanam. Quod in tantum eſt verum; vt etiãſi ex viro & muliere, naſcatur Animal quantumcumque ſecundùm aliam ſpeciem benè conformatum, ſi Figuram humanam non referat, Animâ rationali non informabitur. Illud autem pro ſecundo argumento aſſumo, & probo. Animalia Effigiem humanam non referentia, ne quidem ſub conditione hac (ſi tu es Homo) ſunt baptizanda. Ita cum Philoſophis Chriſtianis omnibus, & cum communi

communi Theologorum Scholâ, Eximius D. M. N. SYLVIVS, huius Almæ Vniuersitatis pro tempore Rector Magnificus, docet, articulo 11. quæstionis 68. tertiæ partis. Quin imò Sancta Mater Ecclesia, Animalia talia ex Hominibus nata, prohibet baptizari. Oraculum audi. In Rituali Romano, Pauli V. Pontificis Max. iussu edito. in cap. de Baptismo. *Monstrum quod Humanam Speciem non præ se ferat, Baptizari non debet.* Sed cur Baptizari non debet? an non quia Animam rationalem non habet? Sed cur Animam rationalem non habet? an-non quia Figuram Humanam non præ se fert? Istud etiam benè animaduerterunt, leges ipsæ ciuiles. Lege, *Non sunt liberi*, 14. Digestis, de Statu Hominum. *Non sunt liberi* (inquit lex) *qui contra Formam Humani generis, conuerso more procreantur; veluti, si mulier monstrosum aliquid aut prodigiosum enixa sit.* Sed cur

non ſunt liberi? an-non quia non ſunt Homines? Homines autem non ſunt, quia Figuram Hominum non referunt. Quod ſi Monſtrum affabrè figuratum, Animam rationalem non habeat, eo quod non habeat Figuram Humanam: multò minùs Effluxiones Animam rationalem habebunt, quoniam nullam prorsùs cuiuſpiam Figuram referunt; & tamen poſt tertium diem à verâ Conceptione prodeunt. Iſtud autem aſſumo pro altero argumento. Præeat mihi prædictus Exim. Dom. M. N. SYLVIVS, articulo 4. quæſtionis 80. Supplementi: his verbis: *Si Fœtus ante Organizationem, quando nullam adhuc præ ſe fert ſpeciem humanam, eſſet animatus Animâ rationali, deberet Baptizari, ſi fortè ex Vtero prodeat; eſſet enim Homo* (inquit) *ideóque obnoxius peccato originali. Non eſſe autem Baptizandum, habet communis Eccleſiæ praxis, cuius communis ſenſus eſt, Fœtum non habere*

Animam

Animam rationalem, nisi sit Formatus & Organizatus. & in hanc sententiam conueniunt etiam communiter, Scriptores, siue Theologi, siue Philosophi. ac proinde (sunt adhuc Eximij D. verba) *si quis diceret, Fœtum recipere Animam rationalem tertio, quarto, vel quinto die, & omninò, quando nullam prorsùs habet Organizationem, nullam Humanam Speciem aut Figuram, paradoxum diceret, neque esset in Theologiâ audiendus*, inquit. Ergo nec in Medicinâ, quisquis istud asserit, audiendus est. Effluxio autem, apud Medicos, est Materia Fœtûs futuri, in inuolucro quopiam membranoso contenta, quæ intra primos 40. dies à Conceptione, ex Vtero mulieris effluit; alioquin verus Homo futura, si diutiùs in Vtero fuisset retenta. Hipp. l. de Septimestri Partu. *Intra quadraginta dies, plures quàm alijs diebus, Effluxiones faciunt*. Et Galenus 1. de Semine. *Quatuor aut quinque circiter à Cõceptione diebus, sæpè excidit Mulieribus Geni-*

Genitura, tenui contenta Inuolucro. Eâ re ſic explicatâ. ex Auctore noſtro, confirmationem alteram argumenti noſtri contra ipſum depromo. Is enim in argumento octauo Concluſionis ſextæ, vbi vult probare, cum Semine Animam non aduenire: ſed eam aliundè tertio die infundi, ita loquitur: *Si in Semine eſſet Anima, Semen* 62. *in Paraſtatis Parentum eſſet Homo. quod enim habet Animam rationalem eſt Homo,* inquit, *& ſic ſequeretur Molliciem eſſe Homicidium, & Semen in terram emiſſum eſſe Baptizandum, ne Anima eius in æternum periret. quæ omnia* (inquit) *ſunt falſa & abſurda, & à Religione Chriſtianâ & Catholicâ aliena*: vnde formo meam Confirmationem, hoc pacto. Si Semen effluens in terram rationali Animâ eſſet Animatum, illud eſſet Baptizandum. ergo, ſecundùm hunc Auctorem, Effluxiones in terram emiſſæ erunt Baptizandæ. Probatur, Effluxiones illæ contingunt 4. 5. 6.

& longioribus à Conceptione diebus. ſed, ſecundùm Auctorem iſtum, Anima rationalis tertio die infunditur. ergo quando contingunt iſtæ Effluxiones, ſunt animatæ Animâ rationali. ergo, ſecundùm Auctorem iſtum, Effluxiones forent Baptizandæ. Sed eſſe Baptizandas, eſt falſum, & abſurdum, & à Religione Chriſtianâ prorsùs alienum. Prohibet enim Eccleſia. Non ſunt igitur Baptizandæ. Ergo reuerà non ſunt Animâ rationali animatæ. Sed cur hoc? an-non quia non ſunt conformatæ? Ergo reuerà, Anima rationalis non infunditur ante Conformationẽ. Si contrà, ante Conformationem, Anima rationalis infunderetur, quomodò verũ eſſet quod habetur in Symbolo? *Credo Carnis reſurrexionem.* Quomodò verum eſſet quod Sanctus Iob habet cap. 19. *Et rursùm circumdabor pelle meâ, & in Carne meâ videbo Deum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpe-*

conſpecturi ſunt, & non alius. repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Homo ſine Pelle, ſine Carne, ſine Oculis, ſine Ore, ſine Sinu; Maſſa iſta liquida fluida, quomodò poterit iſta dicere? Non poterit, non enim erit. *Quippe non reſurgent illa* (ait Exim. D. M. N. SYLVIVS, cum reliquis Dominis Theologis, vbi ſuprà) *quæ Figuram Humanam non habuerunt*: an-non ideò non reſurgent, quia Animam rationalem non habuerunt? Et S. Auguſtinus in Enchyridio ad Laurẽtium, ait, *Informes Abortus*, id eſt, Fœtus non formatos, *quis non procliuiùs perire arbitretur, ſicut Semina quæ concepta non fuerunt*? Apage, apage informes iſtos Homines, qui nuſquam ſunt, nuſquam erunt, nec vſquam in rerum naturâ exſtiterunt. Nunquam Rationalis Anima, niſi in Corpore priùs formato fuit increata. imò ne quidem Chriſti Domini; in quo interim maior foret apparentia, quàm in quouis

alio fuerit vnquam; Anima quippe Christi Domini, etsi in instāti Conceptionis fuerit infusa, non fuit tamen ante sui Corporis Conformationem infusa. Scribit vtique S. Tho. in 3. partis quæst. 33. articulis 1. & 2. *Sicut statim formato corpore alterius Hominis, infunditur Anima, ita fuit in Christo.* Hoc interest, Hominum aliorum, longo dierum spacio formatur Corpus; at Corpus Christi in instanti Conceptionis fuit formatum, & sic ipso instanti Conceptionis, fuit infusa ipsius Anima, idque, non antequàm Corpus eius fuisset organizatum. Si ergo in tanto Mysterio, requisiuit Deus ipse, vt Anima Christi non infunderetur, nisi Corpus eius esset organizatum, quantò magis formatum esse debet Corpus aliorum Hominum, ante Infusionem Animarum? De quâ S. Hyeronimus in Apologiâ vnâ contra Ruffinum. *E tribus vnum quid sentias* (inquit)

quit) *ſcire deſidero Ruffine. An Animæ ante Corpora fuerint: an verò ex traduce cum Corporum naſcantur exordijs: an verò formatis in Vtero, figuratiſque Corporibus immittantur? Nihil reſoluit Hyeronimus* 216.
(inquit Auctor noſter) *ſed rem ſub dubio relinquit.* Quid? non reſoluit D. Hyeronimus, an Animæ fuerint ante Corpora, quando inibi petit hoc ſenſu: *Si Animæ ante Corpora fuerint, vbi erat Anima Chriſti, antequam in Mariâ Chriſtus conciperetur?* Dubitátne D. Hyeronimus, an Animæ ex traduce cum Corporum naſcantur exordijs, quando inibi ſic reſoluit? *Si Anima cæpit ex traduce, Humanarum Animarum quas æternas fatemur, & brutorum animantium, vna conditio eſt.* Reſoluit ergo S. Hyeronimus, iam formatis in Vtero figuratiſque corporibus, rationales Animas immitti. Nam aliàs, quomodò cum veritate idem S. Hyeronimus ad Marcellum & ad Auguſtinum ſcriberet, *ſe docuiſſe in Apologijs*

contra Ruffinum, quid de Animæ Informatione ſentiendum ſit. Dubitátne S. Hyeronimus? cum q. 4. ad Algaſiam & Hædibiam ſcribit hæc? *Semina paullatim formantur in Vteris, & tamdiu non reputantur Homo, donec Elementa confuſa, ſuas imagines membraq́ ſuſcipiant.* Remne ſub dubio relinquit S. Hyeronimus, cùm alibi ita reſolutiuè reſcribit? *Rationem Animæ, iuxta exemplum primi Hominis, à Domino Deo quottidiè fieri, iamq́ formato Corpori dari, certum eſt.*

Tom.4. fol.400. Aquicincti.

Diuo Hyeronimo, comes, hâc ipsâ in re, iungatur S. Auguſtinus, in Quæſtionibus Veteris & Noui Teſtamẽti ar. 23. *Si propiùs reſpiciamus, videbimus quid ſequi debeamus* (inquit) *Contemplemur facturam Adæ. in Adam enim, exemplum datum eſt, vt ex eo intelligatur, quia iam formatum Corpus, accipit Animam.* Addit rationem. *Nam potuerat quidem* Deus *Animam Limo terræ admiſcere: ſed primùm oportebat domum compaginari, & ſic Habitatorem induci.*

To.4. pa. 714. Aquic.

Pergit.

Pergit. *Cùm ergo Corporis Lineamenta compacta non fuerint, vbi erit Anima? an foris vagabitur, quamdiu immittatur?* Quiſquis nouit hunc loquendi modum, videat, vtrùm S. Auguſtinus dubitet, an Anima rationalis ante Conformationem immittatur? Inter cuius Opera interſeritur Liber de Spiritu & Animâ, in quo habentur hæc. *Humanum Corpus nec viuere, nec naſci poteſt, ſine Animâ rationali: vegetatur tamen & mouetur & creſcit, priuſquàm Animam rationalem accipiat.* & ibidem iterùm. *Dicimus (formato iam Corpore) Animam creari & infundi. At, ſi Corpore formato, ſicut in Adam factum eſt, tum demùm infunderetur Anima, ſequeretur* (inquit Auctor noſter) *quòd nunc quoque non deberet infundi Anima, niſi quando Homo in illâ perfectione eſſet conſtitutus, in quâ fuit Adam, quando ei Anima à Deo fuit inſpirata. quia tunc Deus produxit Hominem in inſtanti perfectum: nunc paullatim nouem menſium ſpacio perficiendum.* 215.

Scimus omnem comparationem claudicare, ſed non in eo, in quo prę-cisè fit comparatio. Conformatio quâ eſt Conformatio, hîc cum Conformatione iſtâ comparatur, & hæc Animæ Infuſio, iſtâ cum Animæ Infuſione, hæcque ita ſimul inter ſe conferuntur. quo pacto, vtrobique par eſſe ratio repperitur, *Poterat quidem tunc, Deus Animam limo terræ permiſcere. Poteſt ſimiliter nunc, in Maſſâ liquidâ, Animam increare.* non autem increat nunc in Maſsâ liquidâ Animã, quemadmodùm illam limo terræ nec tunc admiſcuit. Poteſt fieri, ergo fit, nulla eſt conſequentia. Deus ſiquidem, mille mundos creare poteſt, quid tum poſteà, creátne? Quamobrem, doctè & eruditè (vt omnia) Clariſſ. D. Andreas Hoïus, hâc in Academiâ florentiſsimâ Hiſtoriarum Profeſſor Regius Academicus, in exquiſitiſsimâ ſuâ in Ezechielem Paraphraſi, capite 18. ad hæc verba

Domini.

Domini. *Ecce omnes Animæ meæ sunt.*

Corpora Natorum gignũt mortalia Patres:
At non æternas genitali semine menteis
Procudunt; Hominum FORMATA IN MEMBRA, *recenteis*
Auctor ego transfundo Animas.

FORMATA IN MEMBRA, inquit Dominus. In eiusdem quoq; Ezechielis cap. 37. præclarè nostrum describitur negotium, his verbis. *Et accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam. & ecce super ea, nerui & carnes adscenderunt, & extenta est cutis desuper.* Facta est Organizatio. sequitur, *& spiritum non habebant.* posteà. *ingressus est in ea spiritus & vixerunt.* Organizatione nempe factâ, introducta est Anima. Posset suggeri quidem, in hac re, aliquã esse discrepantiam, ab eo quod fit in generatione quottidianâ. Attamen non quoad Organizationem cum Animatione comparatam. Verùm, quidquid dici posit, quid ad caput 10. Sancti Iob respondebitur,

tur, vbi graphicè quottidiana Generatio deſcribitur? *Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle & Carnibus veſtiſti me, Oſsibus & Neruis compegiſti me.* Vides; ordine naturaliſsimo, Spermatificationem, Coägulationem, Cutis Circumductionem, Oſsium Compaginationem, Neruorumq́; ad Senſum & Motum Compoſitionem, ſe mutuò conſequentia. Sequitur, tandem posteaquàm Corpus Organizatum fuit, *Vitam & Miſericordiam tribuiſti mihi.* Per Vitam ſiquidem, hîc intelligitur Anima rationalis, poſt Organizationem introducta, interprete S. Hyeronimo, in idem caput. Quid quæris his auctoritatibus magis authenticum, quid rationibus earum ac noſtris magis euidens? Mitto legem *Si quis*, Paragrapho, *Qui Abortionis*, Digeſtis de pœnis. & legem, *Si quis necandi*, Codice ad legem Corneliam de Sicarijs. per quas, Iure Ciuili, Homicidij
Reus

reus non eſt, niſi qui Hominem, id eſt, qui formatum in figurâ Hominis, Abortionis poculo perdiderit. Mitto Capitulum, *Sicut*, ſecundo de Homicidio, item Canonem *Moyſes* trigeſimâ 2. quæſt. 2. item Canonem *Aliquando*, cum ſequenti, trigeſimâ 2. quæſt. 3. per quos Iure Canonico declaratur, Fœtus non eſſe Animatus Animâ rationali, niſi fuerit organizatus. Sed omittere non poſſum, euidentiſsimum ſanctæ Scripturæ locum, Exodi 21. vbi ſecundùm Editionem Latinam LXX Interpretum, Auctoritate & iuſſu Sixti V. Pont. Max. habentur hæc verba. *Sin autem rixentur duo viri, & percuſſerint Mulierem in Vtero habentem, & exierit Infans eius non formatus, Mulctâ mulctabitur, &c. Si autem formatus fuerit; dabit Animam pro Animâ, &c.* Quibus ex 210.
verbis indicat Scriptura, *tunc ſolùm Fœtum viuere Animâ rationali, cùm eſt perfectè Organizatus. Minimè verò, cùm non*

est Organizatus: ideò enim iudicat debere percussorem dare Animam pro Animâ, cùm Fœtus est Organizatus; quia tum Fœtus est Animatus, & percussor tum perdidit Animam eius: & debere solùm dare mulctam, cùm non est Organizatus; quia tunc non est Animatus, & non perdidit Animam eius. Ita Auctor ipsemet. Sed & Theodoretus (& quis non alius, siue S. Scripturæ Interpres, siue Canonista, siue Casuista?) quæst. 48. *Statuit ergo Legislator* (inquit) *quòd, si Mulier grauida Abortiuum fecerit in Rixâ, si Effigiatus Infans egrediatur, hoc est Formatus, factum illud, Homicidium vocandum: Auctoremque sceleris, pœnas Homicidij luere debere. Si verò Partus egrediatur informis* (id est, non Formatus) *Homicidium non censendum; quia necdum Animatum erat, quod Abortiuum editum est*. Quid clarius? Tanto tamen lumini, tenebras tentat adhuc offundere noster Auctor. Et primò dicit: *Nos non teneri ad credendum Textui Græco, qui aliquandò* (inquit)

quit) *habet errores*. Dicat ille quid velit. Scio ego, Sixtum V. Pon. Max. 213.
in Breui Apoſtolico præfixo Editioni Latinæ LXX. Interpretũ, quod incipit (*Studentes*) ita ſtatuere. *Ne poſthàc in Sacro Textu, quidpiam contra ſanam Doctrinam, Hominum incuriâ vel temeritate irrepere vnquam poßit, ſed potiùs Verſio huiuſmodi, iuxta* LXX. *Interpretum Editionem, pura, integra, & incorrupta perpetuò conſeruetur; Auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, diſtrictè interdicimus & prohibemus, ne quis præfatam Latinam Verſionem Veteris Teſtamenti, aliter quàm ſit hæc, quæ de Mandato noſtro, nunc, vt præmittitur, prodit in lucem, imprimere, edere, &c. audeat, &c.*

Audin' Eccleſiæ Caput & Oraculum, hanc Verſionem LXX. vocare, *Sacrum Textum, Sanam Doctrinam, Puram, Integram, & Incorruptam Verſionem?* Quam rem, ego credo, & nullos errores habere profiteor. Secundò, erepere putat Auctor, dũ ait: *Non*

Non vult ibi Scriptura dicere, inquit,
214. *Fœtum qui necdum est organizatus, non esse animatum* (ſupple Animâ rationali) *sed esse ſolummodò adhuc Hominem imperfectum; & ideò, qui interemptionem illius cauſauerit, non esse caſtigandum morte, ita, ac ſi perfectum Hominem interemiſſet. qualis est Homo perfectus, is qui iam organizatus est. Pro cuius Animæ deperdi-*
215. *tione, Interemptor, hâc lege, Animam ſuam cogitur reddere. nam aliàs, Homo imperfectè organizatus tantummodò ruditer, est animatus.* Sed contrà. Nonne perfectus eſt Homo, qui Animâ rationali conſtat & Corpore? Nonne protinùs ab Infuſione, perfectiſſima eſt Anima? Nonne æquè perdit Animam, qui primo die Infuſionis perdit eam, quàm is qui milleſimo? Nonne perfectum Hominem occideret, qui virum ætatis triginta quinque annorum, ſine Brachijs & Cruribus, Dorſuatum, Ventricoſum, obtorti Colli, occideret; quàm ſi eum qui

qui omnibus Membris abſolutus eſt? ſanè, æquè foret Homicida, & æquè puniendus; quia Animal Animâ rationali, æquè conſtans occideret. Habétne Rationalis Anima Partes, vt paullatim & per Partes ruditer primò, poſteà perfectiùs infundatur? Nonne plenariè, & non ruditer, Animâ rationali eſt animatus, quiſquis primo inſtanti, Animâ hâc indiuiſibili animatus eſt? Diuus Auguſtinus, & alij, ſi quando Fœtum necdum ritè organizatum, ruditer animatum eſſe pronunciauerunt; per illud (ruditer animatum) de Animâ rationali non intellexerũt; ſed de Animatione aliquâ, craſsâ mineruâ, commodè intellectâ, quâ Spiritus Conformator, aut aliquid ſimile, dicitur, ante dictam Infuſionem, Maſſam Prolificam ruditer animare. *Quocirca, Infuſionem iſtam Animæ Rationalis, non fieri, antequàm Corpus in Effigiem Humanam, Organizatum*

tum fuerit, Auctoritatibus, & Rationibus solidis videor ostendisse. Dixi.

QVÆSTIO III.

FITNE INFVSIO ANIMÆ Rationalis, Organizatione factâ, circa Quadragesimum diem à Conceptione, an seriùs, aut ocyùs?

ERTIA Quæstione quæritur (Auditores) quoto die à Conceptione, in Fœtum humanum, Anima Rationalis infundatur. Auctor noster vult hoc fieri Tertio ante omnem Conformationem. Nos contrà demonstrauimus tam citò id fieri non posse. Superest tamen adhuc vnum eius argumentum, in hunc locum, (quia in die vim ponit præcipuam) reiectum; huiusmodi. *Quod conformat Fœtum* (inquit) *conformat Membranas: Sed, Anima rationalis conformat Fœ-*
199. *tum: Ergo, Anima rationalis conformat*

Membra-

Membranas. Verùm Membranæ incipiunt conformari circa tertium diem: Ergo, Anima rationalis infunditur circa tertium diem. Contrà: Quod Anima rationalis conformet Fœtum iam ſæpiùs refutaui, & contrarium recipiendum eſſe, oſtendi. Accepto verò maiorem, & in meam commoditatem vſurpo. Illud tamen antequàm perficiam, eſt operæ-precium explicare, quid per Membranas hîc intelligatur. Fœtus in Vtero fit hoc modo. Maſſa Prolifica, ab Vtero ſe conſtringente, vndequaque comprehenditur. Hæcque Maſſa, fundi Vteri Venis & Arterijs, per Pediculum quendam, ex illâ Maſsâ, & ex Materno Sanguine genitum, agglutinatur, quemadmodùm Poma, Pyra, Ceraſa, per Pediculum, ſiue per Caudam, ramis Arboris ſuæ adhæreſcũt. Tunc ex illâ Maſsâ, primùm generatur Membrana aliqua (quam vulgò Secundinam nominant) totam
reli-

reliquam Maſſam Prolificam in ſe laxè recondens. Paullò pòſt, in eâ incipit Fœtus conformari, eo pacto, vt Funiculus ille, qui à Fundo Vteri protenditur, vſque ad hanc Secundinam, trans eam feratur quoque vſque ad locum Vmbilici Fœtûs futuri. Tandem, hâc Secundinâ ruptâ, prodit Puer, habens iſtum Propagationis Funiculum in Vmbilico ſuo terminatum, qui Funiculus à Fundo Vteri incipiens, & in medio ſuæ longitudinis Secundinam habens Annexam, ab Obſtetrice, iuxta Fœtûs Vmbilicum, abſcinditur; deſerens ponè ſe, iſtam Secundinam à Fundo Vteri vellicandam. Quæ cum ipſo Funiculo ſeſqui-vlnam circiter longo; obtinens facilè, molem & pondus tantùm, vt poſſit dici adæquare, ad minimum, octauam partem ponderis Pueri, poſt Partum, tanquam viliſsimum Naturæ recrementum, abijcitur. Hoc poſito: Maiorem

iorem Auctoris nostri assumo, & in meum vsurpo commodum. *Quod conformat Fœtum, conformat Membranas:* 199.
concedo. Dein
Mutemus clypeos, Danaumq́; insignia nobis Aptemus. & subsumamus. Sed, Anima rationalis non conformat Membranas. Concludamus deinde in Baroco. Ergo, Anima rationalis non conformat Fœtum. Nam, quid opus est; abiectum istud Naturæ recrementum, quod in Vtero, nisi vice sacci Fœtum continentis, officio matulæ, aut sentinæ, eius Vrinam, totâ Grauidatione recipientis, functum est; quid opus est (inquam) istam post Partum, inutilem, flammis, aut latrinis demandandam Massam, Animâ rationali immortali donatam fuisse? Sufficiat hanc vilem, crassam-carneam Membranam (quæ rudi Molâ non est excellentior) à Vegeto-sensitiuâ, siue à Zoöphitâ quâpiam Animâ, conformatam &

Virg. 2. Æneid.

auctam fuisse. idque ab eo instanti, quo Anima ista à Parentibus traducta, hanc Membranam non minùs quàm Fœtum incæpit conformare: Ex quo Fœtu (adueniente Animâ rationali) euanuit quidem, in illâ autem Secundinâ, ad Partum vsque remansit. Quoto igitur die, aduenit Fœtui? *In re tam dubiâ, omnes ambigunt* (inquit Noster) *nihilque in hâc*
217.
216. *Materiâ est definitum; quamobrem multùm Auctoritatibus non est tribuendum; sed licet vnicuique super eâ, adhuc pro ingenio philosophari.* Non arbitror. Etenim nullus iam ambigit, an Anima rationalis ante Organizationem infundatur; cùm in primis Ecclesia definierit, Animam rationalem ante Corpora creatam non fuisse, illosque condemnet qui eam ex traduce de parentibus comminiscuntur procedere. Istud itaque pro probato, præsuppono. &, porrò pergens peto; Quis vnquam Vir alicuius Auctoritatis somnia-

Tolet us in principio de Animâ, in Articulis fidei, de Animâ tenẽdis.

ſomniauit Animas rationales ante Organizationem, tertio circiter à Conceptione die increari; vnum ſi demas Fienum? cuius reſpectu, neoterica hæc opinio eſt propriè ſingularis. Nullus igitur, nullus ex orthodoxis & probatis Auctoribus ambigit, an Anima rationalis, ante Organizationem introducatur? Ambigunt autem tantummodò (nec ſine ratione) plurimi, quoto die à Cõceptione, facta ſit ſufficiens Organizatio, vt tunc Anima rationalis infundatur. Sunt Gregarij quidam, qui videntur velle ſuſpicari, iſtud fieri ſeptimo forſitan die, Hippocratis Auctoritate non probè intellectâ perculſi. Anſam prehendunt ex libro de Carnibus, vbi hæc verba ſcribuntur. *Hominis vita, ſeptem dierum numero circumſcribitur. ac primùm quidem, vbi Genitura ad Vteros peruenerit, habet intra ſeptem dies quæcumque ex corpore ei accidere neceſſè eſt.* Et confirmantur in ſuâ

 perſua-

perſuaſione, ex Hippocratis libro, de Naturâ Pueri, vbi dicit, *Pſaltriæ contigiſſe, quòd ſexto die à Conceptu, Fœtum ſuum Membranâ inuolutum eijceret.* At legant reliquum, & intelligāt. Libro quippè iam citato, ſic Hippocrates. *Genitura, in terram cum ſonitu defluxit. ego verò, qualis erat referam* (inquit) *vt ſi quis Ouo crudo externam teſtam vndique auferat, in quo, in Membranâ contentus Humor pelluceat. ad hunc ferè modum, ſe habebat liquor ille. prætereà ruber erat, & rotundus. conſpiciebantur autem fibræ albæ & tenues.* Erat-ne Fœtus ille diſtinctis organizatus Membris, qui liquor adhuc erat, intercurrentibus tantùm aliquot fibris? Quòd attinet ad librum de Carnibus; in primis certum eſt, eum, Hippocratis non eſſe. ſed ipſius eſto. per illa verba nihil ampliùs colligere queas, quàm rudimenta quædam & adumbrationes, locaque partium, die ſeptimo incipere apparere. Quemadmodùm

modùm egregiè explicat Andreas Laurentius capite quinto, libri octaui Anatomiæ. Nonnulli Theologi ac Iurisperiti tenent ex alterâ parte, Animam rationalẽ, Masculis infundi, die quadragesimo, & Fœmellis die octogesimo; & colligunt ex eo, quòd Moyses legem tulerit, 12. Leuitici, vt Mulier quæ Marem peperisset, purificaretur in quadraginta diebus, quæ verò Fœmellam in octoginta. putant enim, hoc Moysen fecisse, ex eo, quòd Masculis die quadragesimo, Fœmellis verò non nisi octogesimo, Anima rationalis infundatur. Sed, Reuerendus Pater Læsius, libri secundi de Iusticiá & Iure, capite nono, Dubitatione decimâ, ait, *nullam videri rationem, cur tanta sit discrepantia inter Marem & Fœminam. itaque verius est* (ait bonus senex) *vtrumque Fœtum animari, simul atque fuerit formatus. quoto autem die absoluatur ipsa Formatio, docet Leuinus*

Lemnius (inquit) *capite Vndecimo, de ocultis Naturæ Miraculis, citans Hippocratis locum de Naturâ Fœtûs; Maris Formationem aliquando abſolui die* 30. *aliquando* 35. *aliquando* 40. *aliquando* 45. *Fœminæ verò, nunc* 35. *nunc* 40. *nunc* 45. *nunc* 50. Verùm, id paullò aliter habet Hippocrates. Nam libro de Naturâ Pueri, vno loco, *Fœmina quidem* (inquit) *primam Concretionem* 42.*diebus, cùm longiſsimè accipit; Mas verò* 30.*diebus. Vt plurimùm enim intra hoc tēpus, vel paullò minus, vel maius, iſta diſtingui contingit.*& poſteà. *Pleræq; Mulieres Fœtum Maſculum, paullò ante* 30. *diem Abortione reddidere; ſed is indiſtinctus conſpectus eſt; qui verò paullò poſt, omnes diſtinctis Membris viſi ſunt. ſic etiam in Fœmellis, pro ratione duorum & quadraginta dierum.* Et in libro, de Septimeſtri Partu. *Tempore quadraginta dierum præterito, ſingula Corporis Membra diſcernuntur.* At longius multò tempus expoſcit Fernelius capite 13. libri 7. Phyſiologiæ, vbi ita ſcribit.

ſcribit. *Ab ſummo rerum Conditore, Anima creata, in præparatum inſtructumque Infantis Corpus vniuerſum, temporis momento commigrat, idque Menſe quarto fieri proditum eſt, quo tempore Cor & Cerebrum, conſummata iam ſunt.* Apparet autem fundamentum huius opinionis iactum eſſe, in libro primo de Victûs ratione, quando Hippocrates vtitur hoc ſermone. *Neque verò æquali temporis ſpacio, omnia certo ordine deſcribuntur; verùm, alia citiùs, alia tardiùs, proüt quæque ignem & alimentum ſortita fuerint. Quidam igitur Fœtus* (inquit) *tribus & quadraginta diebus, Conformationem habent, quidam quatuor menſibus.* Et libro de Nat. Pueri. *Poſteaquàm ſummæ Corporis Pueri partes ramos foras emiſerint, vnguesq; ac capilli radices egerint; tunc ſanè etiam mouetur. ad idque Maſculo, trium menſium tempus conceditur, Fœmellæ verò quatuor. Sic enim, vt plurimùm contingit,* inquit, *Primùm autem Mas mouetur, quòd Fœmellâ ſit robuſtior. primùm*

mùm quoque concreſcit Maſculus, cùm ex validiore & craßiore Geniturâ conſtet. Vnde clarè colligas, ſub appellatione Maſculi, Puellas etiam viriliores contineri, non minùs, quàm ſub Fœmellæ vocabulo, Mares euiratos & effœtos. Vnde Exim. D. M. N. SYLVIVS, ar. 4. in q. 8. Suppl. *Ex diuerſitate perſonarum, & Complexionis ipſarũ; certum eſt, variari tempus Formationis Fœtuum.* Alterâ iterùm ex parte, communi conſenſu, Caſuiſtæ vniuerſi, eum qui Aborſum ante diem quadrageſimum procurauerit, peccare quidem mortaliter declarant, non tamen eſſe irregularem, eo quòd non ſit Homicida: quadrageſimo autem exacto die, ſi quis idem præſumpſerit perpetrare, Irregularitatis eum conſtituunt reum, eò quòd poſſit fieri vt ſit Homicida. Quid igitur hîc dicemus? quid tantâ in variatione ſeligemus? Perplexam ſanè videmur ſubijſſe prouinciam. Ex quâ

tamen facillimè nos extricabimus; ſi quod Galenus noſter, in principio libri de Fœtuum Formatione præfatur, arripiamus, & interpretemur commodè. Audiamus igitur hunc, pro hoc loco, auream pronunciantem ſententiam hanc: *Fœtuum non eſt vnus limitatus terminus manifeſtæ Formationis, aut Motionis, aut Partûs*. Macte Galene, diuinè admodùm Naturæ rem tetigiſti, naturaliſsimè diuinaſti. Siquidem in Corporis negotio, & in ipſius Naturæ curſu, non eſt vnus limitatus terminus ita præcisè, vt ille in indiuiduo quopiam puncto conſiſtat. Terminus Naturæ, in latitudine magnâ exſpaciatur. Dentitioni primæ, primi à Natiuitate menſes, Infantibus ſunt præfixi. attamen his, tertio menſe pullulant, illis demùm vndecimo, iſtis verò duodecimo: Secundæ verò Dentitioni, ſeptimus ætatis annus eſt ordinatus; vnde Plautus in Menæchmis.

Quot eras annos natus, cùm te Pater à Patriâ auehit?

Reſpondet alter:

Septuennis, nam tum dentes mihi cadebant primulùm.

Septuenni interim feruntur dentes decidere, etiamſi id fiat ſub finem anni ſexti, aut ſub medium octaui. Pubertati, annus decimuſ-quartus eſt dedicatus. & eo anno quandoq; Barba pubeſcit in iſto, in illo autem ſæpiùs vocata prima Lanugo, vix anno vigeſimo prodit. Canities Senibus aduenit. ſed huius capitis nix, vel ante quinquageſimum ætatis annum, ſenium adueniſſe clamitat; ille verò, vix vel ſeptuageſimo caneſcit. Muliebria quibuſdam anno duodecimo luxuriant, alijs vix vigeſimo erumpunt; & tamen vtriſque in Pubertate dicuntur prouenire. Terminum vitæ conſtitutum, præterire nemo poterit. hic tamen naturali debilitate ad eum aduolauit, vel anno

40. quem

40. quem alter 60. vix adhuc attigit. Tertio die grauiſsimus Vulnerum dolor eſt; ſed hic cenſebitur tertio die grauiſsimos dolores habere, qui poſt horas 25. à Vulnere inflicto, cum doloribus conflictabitur; non minùs, quàm alter, cui hoc, poſt horas 70. eueniet, id eſt, adhuc tamen die tertio. Par eſt de Partu ratio, par de Motione Pueri in Vtero, par eſt de Corporis Organizatione. Septimo menſe natus, cenſetur legitimè natus, itidem & qui nono, quíque decimo, & qui vndecimo natus eſt. idq́ue ſiue iſtud circa menſium priorum initium, ſiue circa finem acciderit. Similiter, experientiâ euidentiſsimâ conſtat, Matronas quaſdam, percipere ſuos Paruulos commouere ſeſe, circa ſeptimam à Conceptione ſeptimanam, ſed id raró fit. Alias certum eſt, motum iſtum ſui Fœtûs incipere ſentiſcere, circa tertium menſem exactum, ſed id non fit admodùm

dùm ſæpè. Plures verò, iſtam Pueri ſui Motionem in Vtero (ſiue Mas ſit, ſiue Fœmella) demùm primò fieri animaduertunt, circa quartum menſem cum dimidio. De Corporis Organizatione autem, cùm magna ſit diſcrepantia, à die 40. quo à quibuſdam dicitur eſſe perfecta, vſque ad diem 135. quo abs alijs dicitur demùm perfici; commoda erit diſtinctio deſumpta, ex capite 5. libri octaui Anatomiæ Andreæ Laurentij nunquam ſatis laudati Medici anatomici, hoc ſenſu. Duplex eſt Formatio Embryonis. Prima eſt illa, quæ primis diebus fit, ex Maſsâ Prolificâ, virtute Facultatis Cõformatricis, ſecundùm quam, ex illâ Maſsâ, ſingula Corporis Membra, diſtinctè quidem effigiantur, & humanam Effigiem referunt in Homonculo magnitudinem digiti virilis præſeferente. ita tamen, vt omnia iſta, ſint adhuc admodùm

macilenta, marcida, & ſtrigoſa. Secunda Formatio eſt, quæ poſteà procedit, ex Sanguine infarciente prædicta Membra, vt hâc ratione habitiorem adipiſcantur Corpulentiam, & tornentur ad quadraturam concinniorem. Prima Formatio, facta eſt circa diem quadrageſimum, latè limitando iſtud, Circa. Secunda, tum demùm eſt perfecta, quando Fœtus incipit ſe commouere. His poſitis; duo mihi videntur concludenda. Vnum, Veriſimile eſſe, & cum Textu LXX optimè quadrare; ſi dicamus, Animam rationalem infundi in Corpus Spermaticum per primam Conformationem Organizatum, circa diem 40. aut 50. Alterum eſt, quòd etiam ſit valdè probabile, & cum vulgatâ omnium ſæculorum totius populi opinione conforme; ſi, cum Fernelio, dicamus, tum demùm Animam rationalem infundi, quando

ſecunda

ſecunda Conformatio eſt abſoluta. Vtut ſit, & eſto aliquam relinqui controuerſiam, Num infundatur Anima Rationalis, quando facta eſt Organizatio prima; num verò tunc tantummodò, quando ſecunda eſt perfecta: ex antedictis intereà, certiſsimè confectum eſſe videtur, Animam Rationalem, non infundi in Materiam liquidam & fluidam, ac omninò adhuc informem: ſed tum demùm increari, quando Embryo, per aliquam Organizationem, ita Organizatus eſt, vt Effigiem Humanam egregiè repręſentet. Dixi.

FINIS.



ADVERTENDA.

Pag. 10. *lin.* 15. *pone* Parent. (*ante potißimùm. Pag.* 66. 67. 68. Hieronymus. *Pag.* 76. *lin.* 12. *post ruditer, dele* coma. *Pag.* 80. *lin.* 20. tantum.

APPROBATIO.

HIc Tractatus de Animatione Fœtûs, Auctore Expertiſſ. D. LVDOVICO DV GARDIN Medicinæ Doctore & Profeſſore Regio & ordinario, nihil habet fidei, aut moribus aduerſum: ſed communem Patrum ac Scholaſticorum Doctrinam de hâc re, egregiè confirmat & corroborat; & proinde vtiliter in lucem emittetur. Actum Duaci, die 15. Maij, Anno M. DC. XXIII.

GEORGIVS COLVENERIVS S. Theol. Doct. & Regius ordinariusq́; Profeſſor, necnon Librorum in Academiâ Duacenâ Cenſor.